



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Clarissimo Principi Atqve Eminentissimo Domino D. Balthasari Sandoval, Et
Moscoso, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, titulo Sanctæ Crucis in
Hierusalem Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum Primati, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)



CLARISSIMO PRINCIPI

ATQVE

EMINENTISSIMO DOMINO
D. BALTHASARI SANDOVAL,
ET MOSCOSO,

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, titulo
Sanctæ Crucis in Hierusalem Archiepif-
copo Toletano, Hispaniarum Primati,
Castellæ supremo Cancellario, à Consilio
Status, &c.



CONSENTANEVM est, EMINEN-
TISSIME PRINCEPS, ut in præclare
gestis eius nomine mortales glorientur,
cuius auspiciis ad magna ducuntur.
Nam sicut obnoxij animi, & infelicitis
ingenij est, alienam laudem sibi arrogan-
do præripere; ita tanquam ingenui pu-
doris plenum commendatur, quibus
quæque debentur sponte reddere. Solus
insipiens ex alieno superbiat: qui verò sapiat ultroque gloriam suo
Auctori restituet, maximè, cum id non solum iustitia persuadeat,
sed ipsa ratio fame comparandæ præscribat. Si quidem certa laus est
aliena & impropria parcere; pariterque in turpem infamiam vertitur,
si quis furtivis laudibus inuigilet. Flumina exeunt ex mari; sed
grata

grata se se primæ originis restituunt, non solum in naturæ constan-
tiam, sed in humanæ gratitudinis documentum. Par enim est, ut ibi
reponamus, unde accepimus. Profecto quidquid in hominibus ali-
cuius pretij habetur, mutuū est à diuino Numine acceptum; à
quo utique sumus quodcumque sumus. Cuius veritatis conscius
vel ethnicus Philosophus sapienter admonet. Quidquid boni egeris Diog. lib. 1
in Deos refer. Ut suo quaque referantur Auctori. Scilicet omnia
Numini debentur; sed præcipue ea reddere oportet, in quibus magis
Diuinitas splendet: sunt enim magis propria; & quæ, ne unquam
suum dominum negare possint, diuinitatis anulo sigillata nascun-
tur. Huiusmodi sunt, quæcumque ad virtutem, & animi orna-
mentum spectant: sed in his non infimum locum obtinent scientiæ,
quibus homines spiritualibus assuefacti aliquid supra mortalitatem
sapiunt. Sunt enim quadam æterna Mentis scintilla, & Solis diuini
in tenebrâ nostræ ignorantia nocte radiantes stellæ. Hæc igitur nostra
Pharus aliquam lucem studiosis forsitan allatura Paterni intelle-
ctus Soboli Sapientiæ genita iure optimo dicata prodit, ut sui qua-
liscumque splendoris fontem repetat; illique cedat gloriam, si quam
meretur, à quo suum splendorem emendicauit. Nec aliter fecisse
licuit; tum quia exiguum hunc scientiæ rinulum in Diuinæ sapientiæ
pelagus, quasi in amicū centrum, suo pondere properantem nefas
esset aliò diuertere: tum quia hæc qualiscumque scientiarum lux ab
oleo nominis illius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ
absconditi, ut cūque seiuncta mox extincta deficeret.

Neceffe ergo fuit Christo Domino nuncupari. Verumtamen non
adeo arctæ sunt gratitudinis metæ, ut dumtaxat intra diuina
munera contineatur, etiam ad humana beneficia protenditur.
Potissima illa sunt, sed hæc non adeo contemnenda: gratiæ enim
cuiuscumque munificentia debentur. Cum autem adeo profusam erga me
TVÆ EMINENTIÆ benignitatem expertus fuero, indignum esset viro
religioso, si aliquo monumento conceptam gratitudinem non profiterer;
non ut æqualem munificentia tue rependam vicem; id enim mihi nun-
quam sperandum fuit; sed ut votis humilibus tester obsequium. Id-
circo opus istud beneficiorum ordini congruens dicatum prodit primum
Deo, secundum Tibi. Deo, quia suum. Tibi, quia multis ex titulis de-
bitum. Deo, ut ab ipso foueatur. Tibi, ut & EMINENTIÆ TVÆ patrocini-
o nobilietur. Itaque hunc meum qualemcumque laborem Tibi post
Deum debitum profiteor, & humiliter offero, ut in tuum quoque cedat
obsequium; non parum mihi gratulans, quod Pharus hæc lucem visura
etiam sub umbra tanti Nominis oriatur, felixque auspiciū sumat
sub illo Numine, & sub isto Nomine.

Profecto ut Tibi uni omnino dicarem multorum exempla inui-
tabant, sed captum consiliū etiam industria fuit amplius com-
mendandi

mendandi operis, quod & Tibi ipsi destinabatur. Sic enim magis placitum spero: cum Augustinus de germana sapientia puritate testetur. non ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata honoratur. Idem dicturus de scientia, quae eisdem artibus comparatur, quibus pudicitia colitur. Etenim non hesitabo, quin hac scientiarum Pharus Virgineis forsan adumbrata lampadibus, non quia splendida, sed quia Deo dicata à Vigilantissimo Dominici gregis, integerrimoque Pastore honorem adipiscatur. Nec obrectare licet, quod ad libri patrocinium Unigeniti Filij Dei, & praeclari Antistitis consortium fecerim. Nam primogenitum intellectus fœtum in templo summae Sapientiae mihi oblaturum nihil aptius potuit occurrere, quam summum Hispaniarum Sacerdotem adire, ut intemeratis impositus manibus supremo Numini consecraretur.

Agnosce praeterea innoxium debiti obsequij, & gratitudinis altum; disceque novum possessionis genus. Solertia fuit hoc munus quadantenus alienasse, ut ex duplici titulo foret tuum, & quia Tibi dicatum, & quia Deo: quasi tua tua fecerit pietas ea, quae Dei sunt. Enimvero diuina Bonitas diuitias suas incorruptis Praelatorum animis, de gregibusque sibi commissis egregie meritis peruias reddit, & quodammodo proprias facit. Sic Philo ausus est cogitare de suo Moysè. Hunc solum memoriae proditum est sine auro, argentoque ac reliquis opibus regnum administrasse, confisum perspicacem non caeca opulencia, & ut nihil dissimulem, pro suo censu habentem, quidquid Deus possidet. In tantum fastigium euehitur, qui curam aliorum gerens non modo aliena non concupiscit, verum & propria fusè largitur. Meritoque tanto elogio dignus censetur Moyses, qui proscripta tyrānidis auaritia in Praelatorum exemplar suae perspicaciae & vigilantij labori non parcebat, ut bonis Populi parceret. Sed quid dicendum de tua erga gregem Tibi commissum indulgentissima liberalitate? Pia manus in eleemosynas effusa nulli egeno permittit esse, amplius pauperibus erogans, quam egestas auderet sperare. Nemo indigorum ita est in abdito delitescens, quem tuae pietissimae largitatis perspicacia non recreet. Ut miraculi genus sit tantis expensis censum sufficere. Sed te hac cura non angit. Confisum perspicaci non caeca opulencia, & ut nihil dissimulem, pro tuo censu habentem quidquid Deus possidet.

Denique, ut verum fatear, non solum tuo obsequio, sed meae securitati prouidi. Si quidem omnium scientiarum, totiusque omnino sapientiae fontale principium aeternum Verbum Patris oportebat adire; atque adeo ad infinitae claritudinis Solem Deum ipsum opus erat respicere. Sed quibus oculis contemplarer, qui tanto iubare perstricti non caecutirent? quibus verbis alloquerer, quae barbarè & indignè non sonarent? satius mihi fuerit consilium Platonis amplecti

August. de
Felic.

Philo Tu-
da. lib. de
praemiis &
pœnis.

plecti. Prouidendum est ne quasi ex opposito ad Solem conuersi perinde respiciamus Deum, ac si mortalibus oculis conspici possit, tutius enim videbimus, si ad imaginem eius respiciamus. Sed quæ eius imago, quæ accedere trepidantem ad tantæ Maiestatis conspectum metu eximat? ipse Plato subiungit: Deus nusquam, & nunquam iniustus, sed semper & ubique iustissimus, totam videlicet iustitiæ potestatem complexus: nihilque ei similis, quàm iustissimus homo. Licet mihi innuisse quod omnes predicant. Si iustitiæ & sanctitatis insigne illud habentes facit Deo simillimos; mihi quæ exacta & perfecta diuinitatis imago, per quam Deum ipsum aspicerem, suspiceremque querenda fuit; quem alius, IUSTISSIME PRÆSVL, nisi te conuenirem virtutum exemplar, Prælatorum normam, egenorum solamen, omnium piensimum Patrem, demum totius iustitiæ & sanctitatis auidissimum amulatorem? Scire ergo per te Pharus istam scientiarum earundem Fonti Deo vero de Deo vero, subindeque & tibi dicare atque consecrare decreui; uti Dico & Consecro. Vale.

TVÆ EMINENTIÆ,

*Addictissimus atque obsequentissimus
seruus in Christo Domino.*

SEBASTIANVS IZQUIERDO.